

rum benevolo patrono, arcessitus erat poeta.<sup>9)</sup> Ubi Simonide et Pindaro, qui et ipsi a nobilissimo illo rege invitati tum temporis Syracusis vitam degebant, familiarissime est usus.<sup>10)</sup> Quem tum quidem inter annos 472 — 469 a. Chr. in Sicilia fuisse inde intellegi potest quod anno 468 a. Chr. Sophocles, tum admodum adolescens, cum eo de palma certavit.<sup>11)</sup> Persarum autem fabulam priusquam iterum ageretur, et retractatam a poeta et emendatam esse veri simile est eamque ita commutatam usque ad nostra tempora manasse. Id quidem constat iam veteres grammaticos duplicem fuisse Persarum recensionem suspicatos esse. Ad Aristophanis enim versus, qui in Ranis leguntur 1028, 1029

»ἐχάρην γοῦν ἠνίκ' ἤκουσα περὶ Δαρείου τεθνεῶτος,

ὁ χορὸς δ' εὐθύς τὸ χεῖρ' ὠδὶ συγκρούσας εἶπεν ἱανοῖα

haec scholia tradita sunt: Ἐν τοῖς φερομένοις Αἰσχύλου Πέρσαις οὔτε Δαρείου θάνατος ἀπαγγέλλεται οὔτε χορὸς τὰς χεῖρας συγκρούσας λέγει ἱανοῖ, ἀλλὰ τὰ μὲν πράγματα ὑπόκειται ἐν Σούσοις καὶ περίφοβός ἐστιν ἡ μήτηρ Ξέρξου ἐξ ὀνείρου τινός. χορὸς δὲ Περσῶν γερόντων διαλεγόμενος πρὸς αὐτήν, εἶτα ἄγγελος ἀπαγγέλλων τὴν περὶ Σαλαμῖνα ναυμαχίαν καὶ τὴν Ξέρξου φυγὴν. Χαῖρις δὲ φησι τὸ Δαρείου ἀντὶ τοῦ Ξέρξου.<sup>12)</sup> σύνηθες γὰρ τοῖς ποιηταῖς ἐπὶ τῶν υἱῶν τοῖς τῶν

<sup>9)</sup> Paus. I, 2, 3.

<sup>10)</sup> Huc pertinent, quae apud Pindarum leguntur (Ol. I, 14)

ἀγλαΐζεται δὲ καὶ  
μουσικᾶς ἐν ᾧ τῳ,  
οἷα παίζομεν φίλαν  
ἄνδρες ἀμφὶ θανάτῳ τράπεζαν.

<sup>11)</sup> Plutarchus (Cim. 8) Sophoclem memorat primis fabulis, quas docuerit, victoriam reportasse ab Aeschulo. Quae tragica victoria in marmore Pario ad Ol. 77, 4 refertur (= a. 468 a. Chr.). Postero autem anno (Ol. 78, 1 = 467 a. Chr.) Aeschulum Thebaidem trilogiam Athenis docuisse in didascaliam cod. Med. traditum est.

<sup>12)</sup> Eandem loci tractandi viam ingressus Weilius in scriptura περὶ Δαρείου putat latere περὶ Δαδάκου, quem in principes Persarum ad Salamina interfectos refert nuntius (v. 304).